

SERMO CCXI¹.*In Quadragesima, VII.**De fraterna concordia, et condonatione offensarum.*

I. Dies isti sancti, quos agimus in observatione Quadragesimæ, commonent nos de fraterna concordia loqui vobis, ut quicumque habet adversus alium querelam, finiat, ne finiatur. Nolite ista contemnere, fratres mei. Cum enim vita ista mortalis et fragilis, quæ inter tot terrenas tentationes periclitatur, et orat ne submergatur, non potest esse in quovis justo sine qualibuscumque peccatis; unum est remedium per quod vivere possimus, quia docuit nos magister Deus dicere in Oratione: « Dimitte nobis » debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris². » Pactum et placitum cum Deo fecimus, et conditionem solvendi debiti in cautione subscripsimus. Dimitti nobis plena fiducia petimus, si et nos dimittimus: si autem non dimittimus, dimitti nobis peccata non putemus; ne nos ipsos fallamus. Homo se non fallat, Deus neminem fallit. Humanum est irasci; et utinam nec hoc possemus! Humanum est irasci; sed non debet iracundia tua, natus surculus brevis, suspicionibus irrigari, et ad trabem odii pervenire. Aliud est enim ira, aliud odium. Nam sæpe etiam pater irascitur filio, sed non odit filium: irascitur, ut corrigat. Si propterea irascitur, ut corrigat, amando irascitur. Propterea dictum est: « Festucam in

¹ Alias 40 inter Homilias. — ² Matth. vi, 12.

» oculo fratris tui vides; trabem autem in oculo tuo non » vides¹. » Culpas in alio iram, et tenes odium in te ipso. In comparatione odii, ira festuca est. Sed festucam si nutrias, trabes erit. Si evellas et projicias, nihil erit.

II. Si advertistis, beati Joannis, cum ejus Epistola legeretur, debuit vos terrere sententia. Ait enim: « Tenebræ » transierunt, lux vera jam lucet. » Deinde secutus adjunxit: « Qui se dicit in lumine esse, et fratrem suum » odit, in tenebris est usque adhuc². » Sed forte tales tenebras esse homo putet, quales patiuntur in carceribus inclusi. Utinam tales essent! Et tamen in talibus nemo vult esse. In his autem carcerum tenebris possunt includi et innocentes. In talibus enim tenebris inclusi sunt Martyres. Tenebræ circumquaque fundebantur, et lux fulgebat in cordibus. In illis tenebris carceris oculis non videbant, sed amore fraternitatis Deum videbant. Vultis scire quales sunt istæ tenebræ, de quibus dictum est: « Qui odit » fratrem suum, in tenebris est usque adhuc? » In alio loco dicit: « Qui odit fratrem suum, homicida est³. » Qui odit fratrem suum, ambulat, exit, intrat, procedit, nullis catenis oneratus, nullo carcere inclusus: reatu tamen ligatus est. Noli illum putare sine carcere esse: carcer ejus, cor ejus est. Cum audis: « Qui odit fratrem » suum, in tenebris est usque adhuc: » ne forte contemnas tales tenebras, adjungit, et dicit: « Qui odit fratrem » suum, homicida est. » Odis fratrem tuum, et securus ambulas? et concordare non vis, quamvis ideo Deus spatium det tibi? Ecce jam homicida es, et adhuc vivis: si Dominum iratum haberes, cum odio fratris subito rapereris. Parce Deo tibi, parce tu tibi, concorda cum fratre tuo. At forte tu vis, et ille non vult? Sufficiat tibi. Habes unde illum doleas: te solvisti. Dic, si vis concordare, et

¹ Matth. vii, 3. — ² I Joan. ii, 8, 9. — ³ Id. iii, 15.

ille non vult; dic securus: « Dimitte nobis debita nostra, » sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. »

III. Forte peccasti in illum, vis cum illo concordare, vis ei dicere: Frater, ignosce mihi quod peccavi in te. Ille non vult ignoscere, non vult dimittere debitum: quod ei debes, non vult tibi dimittere. Ipse observet, quando habet orare. Quando venturus est, qui tibi noluit dimittere quod in eum forte peccasti, quando venturus est ad Orationem, quid facturus est? « Dicat: « Pater noster, » qui es in caelis. » Dicat, accedat: « Sanctificetur nomen » tuum. » Adhuc dic: « Veniat regnum tuum. » Sequere: « Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra¹. » Adhuc ambula: « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. » Dixisti: quod sequitur vide ne forte velis transcendere, et aliud dicere. Non est qua transire possis, ibi teneris. Dic ergo, et verum dic: aut si non habes quare dicas: « Dimitte nobis debita nostra, » noli dicere. Et ubi est illud quod idem Apostolus dixit: « Si dixerimus, quia » peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas » in nobis non est²? » Si autem mordet conscientia fragilitatis, et in hoc saeculo ubique abundantia iniquitatis; dic ergo: « Dimitte nobis debita nostra. » Sed quod sequitur vide. Noluisti enim dimittere peccatum fratri tuo, et dicturus es: « Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Annon es dicturus? Si non es dicturus, nihil es accepturus: si autem dicturus, falsum es dicturus. Ergo dic, et verum dic. Quomodo dicturus es verum, qui fratri noluisti relaxare peccatum?

IV. Illum admonui: modo te consolor, o quisquis es, si tamen es, qui dixisti fratri tuo: Dimitte mihi quod in te peccavi: si dixisti ex toto corde, si vera humilitate, non ficta charitate, quomodo Deus videt in corde unde dixisti,

¹ Matth. vi, 9-12. — ² 1 Joan. 1, 8.

sed ille noluit tibi dimittere, noli esse sollicitus. Servi estis ambo, habetis Dominum: conseruo tuo debes, noluit tibi dimittere: interpella Dominum amborum. Quod tibi dimiserit Dominus, si potest, exigat servus. Dico aliud: Admonui ergo eum, qui noluit dimittere fratri suo, cum petat ille dimitti sibi, ut faciat quod nolebat; ne, quando orat, non accipiat quod desiderat. Admonui et illum, qui petivit veniam peccati sui a fratre suo, et non accepit; ut in eo quod non impetravit a fratre suo, securus sit de Domino suo. Est et aliud quod admoneam: Peccavit in te frater tuus, et noluit tibi dicere: Dimitte mihi quod in te peccavi. Abundant verba ista: utinam illa Deus eradicet de agro suo, hoc est, de cordibus vestris. Quam multi sunt enim, qui sciunt se peccasse in fratres suos, et nolunt dicere: Dimitte mihi. Non erubuerunt peccare, et erubescunt rogare: non erubuerunt de iniquitate, et erubescunt de humilitate. Ipsos ergo imprimis admoneo. Quicumque habetis discordiam cum fratribus vestris, et revocatis vos ad vos, et consideratis vos, et justum iudicium fertis in vos intus in cordibus vestris, et invenitis vos non debuisse facere quod fecistis, non debuisse dicere quod dixistis, petite veniam fratres a fratribus vestris, facite fratribus quod ait Apostolus: « Donantes vobis ipsis, » sicut et Deus in Christo donavit vobis¹: facite, nolite erubescere veniam petere. Perinde omnibus dico, viris et foeminis, minoribus et majoribus, laicis et clericis: dico et mihi ipsi. Omnes audiamus, omnes timeamus. Si peccavimus in fratres nostros, si adhuc inducias vivendi accepimus, non ideo morimur: adhuc enim vivimus, nondum damnati sumus: dum vivimus, faciamus quod jubet Pater, qui erit Deus iudex: et petamus veniam a fratribus, quos forte peccando in eos aliquid offendimus, aliquid

¹ Ephes. iv, 32.

læsimus. Sunt personæ humiles pro ordine sæculi hujus, a quibus si petas veniam, extolluntur in superbiam: hoc est quod dico, aliquando dominus peccat in servum suum: quia etsi ille dominus est, ille servus; ambo tamen alieni servi sunt, quia ambo Christi sanguine redempti sunt. Tamen durum videtur, ut hoc etiam jubeam, hoc præcipiam, ut si forte dominus peccat in servum suum injuste litigando, injuste cædendo; dicat ille: Ignosce mihi, da mihi veniam. Non quia non debet facere, sed ne ille incipiat superbire. Quid ergo? Ante oculos Dei poeniteat eum, ante oculos Dei puniat cor suum; et si non potest servo dicere, quia non oportet: Da mihi veniam; blande illum alloquatur. Blanda enim appellatio, veniæ est postulatio.

V. Restat ut eos alloquar, in quos alii peccaverunt, et illi qui in eos peccaverunt, veniam petere noluerunt. Illos enim jam sum allocutus, qui petentibus veniam fratribus dare noluerunt. Nunc ergo cum alloquor vos omnes, quoniam dies sancti sunt, ne discordiæ vestræ remaneant; credo quia cogitastis aliqui in cordibus vestris, qui scitis vos cum fratribus vestris aliquas habere discordias, et invenistis quod non ipsi vos in eos peccaveritis, sed illi in vos. Etsi non modo mihi loquimini, quia meum est loqui in hoc loco, vestrum autem tacere et audire: tamen forte cogitando loquimini, et dicitis vobis: Volo concordare, sed ille me læsit, ille in me peccavit, et non vult veniam postulare. Quid ergo? dicturus sum: Vade ad illum, et tu pete veniam? Absit. Nolo mentiaris: nolo dicas: Da mihi veniam, qui te nosti non peccasse in fratrem tuum. Quid enim tibi prodest, cum tu fueris tuus accusator? Quid expectas tibi ignosci, ab eo quem non læsisti, aut in quem non peccasti? Nihil tibi prodest, nolo facias: nosti, bene discussisti, scis quia in te peccavit, non tu in illum.

Scio, inquit. In ista tuta scientia, sit tua conscientia. Noli venire ad fratrem tuum qui in te peccavit, et ultro ab illo petere veniam. Debent inter vos esse alii pacifici, qui illum objurgent, ut a te prius veniam petat: tu tantum paratus esto ignoscere, prorsus paratus esto ex corde dimittere. Si paratus es dimittere, jam dimisisti. Habes adhuc quod ores: ora pro illo, ut petat a te veniam; quia scis ei nocere si non petat, ora pro illo ut petat. Dic Domino in oratione tua: Domine, scis me non peccasse in illum fratrem meum, sed illum potius peccasse in me, et obesse illi quod peccavit in me, si veniam non petat a me; ego bono animo peto ut ignoscas ei.

VI. Ecce dixi vobis quod maxime per istos dies jejuniorum vestrorum, observationum vestrarum, continentiae vestræ, mecum agere debeatis, ut cum fratribus vestris concordetis. Gaudeam et ego de pace vestra, qui contristor litibus vestris: ut omnes donantes vobismetipsis, si quis habet adversus aliquem querelam, securi agamus Pascha, securi celebremus ejus passionem, qui nihil cuiquam debebat, et pretium pro debentibus solvit: Dominum Jesum Christum dico, qui in neminem peccavit, et prope in illum omnis mundus peccavit; nec exegit supplicia, sed promisit præmia. Habemus ergo ipsum testem in cordibus nostris, quia si in aliquem peccavimus, vero corde veniam postulemus; si aliquis in nos peccavit, veniam dare parati simus, et pro inimicis nostris oremus. Non expectemus vindicari, fratres. Quid est, vindicari, nisi malo alieno pasci? Scio quotidie venire homines, genua figere, frontem terræ concutere, aliquando vultum suum lacrymis rigare; et in ista tanta humilitate ac perturbatione dicere: Domine, vindica me, occide inimicum meum. Plane ora, ut occidat inimicum tuum, et salvet fratrem

tuum : occidat inimicitias , salvet naturam . Sic ora , ut vindicet te Deus : pereat qui te persequatur , sed maneat qui tibi reddatur .

SERMO CCXII¹.

In traditione Symboli , I.

Feria secunda post Dominicam quintam Quadragesimæ (2).

I. **TEMPUS** est ut Symbolum accipiatis , quo continetur breviter , propter æternam salutem , omne quod creditis . Symbolum autem nuncupatur a similitudine quadam , translato vocabulo ; quia symbolum inter se faciunt mercatores , quo eorum societas , pacto fidei teneatur . Et vestra societas est commercium spiritalium , ut similes sitis negotiatoribus bonam margaritam quærentibus² . Hæc est charitas , quæ diffundetur in cordibus vestris per Spiritum sanctum , qui dabitur vobis³ . Ad hanc pervenitur ex fide , quæ isto Symbolo continetur : ut credatis « In » Deum Patrem omnipotentem » invisibilem , immortalem , regem sæculorum , visibilium et invisibilium creatorem : et quidquid aliud digne de illo vel ratio sincera , vel Scripturæ sanctæ auctoritas loquitur . Nec ab ista excellentia Dei Filium separetis . Neque enim sic ista de Patre dicuntur , ut ab illo aliena sint qui dixit : « Ego et Pater » unum sumus⁴ . » Et de quo Apostolus ait : « Qui cum

¹ Alias de Diversis 75. — ² Matth. XIII, 45. — ³ Rom. v, 5. — ⁴ Joan. I, 39.

» in forma Dei esset , non rapinam arbitratus est esse » æqualis Deo¹ . » Rapina quippe usurpatio est alieni : cum illa æqualitas natura sit . Ac per hoc quomodo non erit omnipotens Filius , per quem facta sunt omnia ? Cum etiam sit virtus et sapientia Dei² , de qua scriptum est , quod cum sit una , omnia potest³ . Est autem etiam natura invisibilis , in ea ipsa forma , in qua æqualis est Patri . Natura quippe invisibile est Verbum Dei , quod in principio erat , et Deus erat⁴ : in qua natura etiam immortalis omnino , id est , omni modo incommutabilis manet . Nam et anima humana secundum quemdam modum dicitur immortalis ; sed non est vera immortalitas , ubi tanta est mutabilitas , per quam et deficere et proficere potest . Unde mors ejus est , alienari a vita Dei per ignorantiam quæ est in illa : vita vero ejus , currere ad fontem vitæ , ut in lumine Dei videat lumen . Secundum quam vitam etiam vos per Christi gratiam reviviscetis a morte quadam , cui renuntiatis , Verbum autem Dei quod est unigenitus Filius ; cum Patre semper incommutabiliter vivit ; nec deficit , quia permansio non minuitur ; nec proficit , quia perfectio non augetur . Est etiam ipse sæculorum visibilium et invisibilium Creator : quia sicut dicit Apostolus : « In ipso condita sunt omnia in cælo et in terra , visibilia » et invisibilia , sive Throni , sive Dominationes , sive » Principatus , sive Potestates ; omnia in ipso et per ipsum » creata sunt , et omnia illi constant⁵ . » Sed quoniam semetipsum exinanivit , non formam Dei amittens , sed formam servi accipiens ; per hanc formam servi invisibilis visus est : quia « Natus est de Spiritu sancto , ex Maria » virgine . » In hac forma servi infirmatus est Omnipotens : quia « Passus est sub Pontio Pilato . » Per hanc for-

¹ Philip. II, 6. — ² I Cor. I, 24. — ³ Sap. VII, 27. — ⁴ Joan. I, 1. — ⁵ Coloss. I, 16.

mam servi; immortalis mortuus est: quia « Crucifixus » est et sepultus. » Per hanc formam servi, rex sæculorum « Die tertio resurrexit. » Per hanc formam servi visibilium et invisibilium Creator « Ascendit in cœlum, » unde nunquam recessit. Per hanc formam servi, « Sedet » ad dexteram Patris, » qui est brachium Patris: de quo dicit Propheta: « Et brachium Domini cui revelatum » est¹? » In hac forma servi, « Venturus est judicare vivos » et mortuos: » in qua particeps esse voluit mortuorum, cum sit vita vivorum. Per ipsum nobis Spiritus sanctus missus est a Patre, et ab ipso. Spiritus Patris et Filii ab utroque missus, a nullo genitus: unitas amborum, æqualis ambobus. Hæc Trinitas unus Deus est, omnipotens, invisibilis, rex sæculorum, visibilium et invisibilium Creator. Neque enim tres dominos, aut tres omnipotentes, aut tres creatores, aut quidquid aliud de excellentia Dei dici potest dicimus: quia nec tres dii, sed unus Deus. Quamvis in hac Trinitate Pater non sit Filius, et Filius non sit Pater, et Spiritus sanctus nec Filius sit nec Pater; sed ille Pater Filii, ille Filius Patris, ille Spiritus Patris et Filii. Credite, ut intelligatis. « Nisi enim credideritis, non in- » telligetis². Ex hac fide gratiam sperate: in qua vobis « Peccata omnia dimittentur. » Hinc enim salvi eritis, non ex vobis: Dei enim donum est. Post hanc etiam mortem, quæ in omnes pertransit, quæ vetustati primi hominis debetur, sperate etiam in fine « Vestrorum corpo- » rum resurrectionem: » non ad passiones dolorum, sicut resurrecturi sunt impii; nec ad gaudia carnalium desideriorum, sicut putant stulti; sed sicut Apostolus ait: « Se- » minatur corpus animale, surget corpus spirituale³, » ut jam non aggravet animam⁴, nec ullam quærat refectio- nem, quia nullam patietur defectionem.

¹ Isai. LIII, 1. — ² Id. VII, 9. — ³ I Cor. XV, 54. — ⁴ Sap. IX, 15.

II. Hinc igitur brevem sermonem de universo Symbolo vobis debitum reddidi in quo Symbolo quod audieritis, totum in isto sermone nostro breviter collectum agnosce- tis. Nec ut eadem verba Symboli teneatis, ullo modo de- betis scribere; sed audiendo perdiscere: nec cum didice- ritis, scribere; sed memoria semper tenere atque recolere. Quidquid enim in Symbolo audituri estis, in divinis sa- crarum Scripturarum litteris continetur. Sed quod ita collectum et in formam quamdam redactum non licet scribi, commemoratio fit promissionis Dei, ubi per Prophetam prænuntians Testamentum novum dixit: « Hoc est Testa- » mentum quod ordinabo eis post dies illos, dicit Domi- » nus, dando legem meam in mente eorum, et in corde » eorum scribam eam¹. » Hujus rei significandæ causa, audiendo Symbolum discitur: nec in tabulis, vel in ali- qua materia; sed in corde scribitur. Præstabit ille qui vos vocavit ad suum regnum et gloriam, ut ejus gratia rege- neratis vobis, etiam Spiritu sancto scribatur in cordibus vestris; ut quod creditis diligatis, et fides per dilectionem operetur in vobis; ac sic Domino Deo largitori bonorum omnium placeatis, non serviliter timendo poenam, sed liberaliter amando justitiam. Hoc est ergo Symbolum, quod vobis per Scripturas et sermones ecclesiasticos insi- nuatum est: sed sub hac brevi forma fidelibus consisten- dum et proficiendum est.

¹ Jerem. XXXI, 33.